



24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SCORBVTI
CVM
LVE VENEREA COMPLICATIONE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTSSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVL. ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORMV
EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE, ET REGIAR.

SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS. ET

MONSPELIENS. SODALI,

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

AD D. XIII. APRIL. A. S. R. CLO IO CC LXIV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR
ERICVS LUDOVICVS SIEFART,

BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

DISSERTATIO IN VAGABALIS MEDICIS

SCDOLYATI
LAEVIA COMMISSIONE

D. ANDREAS ETIUS PUCHINERIO

ETIUS PUCHINERIO
COMMISSIONE ALEXANDRI CONSILIARII
CONSTITUTA ETC. ET. D. ANDREAS PUCHINERIO
PUBLICIS ET CIVICIS ET. ET. ET. ET. ET.

SCDOLYATI
LAEVIA COMMISSIONE



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
SCORBVTI
CVM
LVE VENEREA COMPLICATIONE.

PRO O E M I V M .

Si argumenti pertractandi vtilitas iure dimetiatur ex illius ad praxin respectu, quod dubium non est: merito etiam sperare possum, fore vt omnes mihi argumenti, quod explanare annitar, largiantur vtilitatem. *Scorbutus*, Protei instar, tot ferme recipit formas, quot sunt, quae inuadit, subiecta. Atque id vulgo notum est. Idem vero de *Lue*

*venerea dicendum esse, sapienter monuit Illusfr. b. m. HOFF-
MANNVS in Medic. ration. systemat. Tom. IV, Part. V. Cap. IV.*

§. IV. pag 148. Quo plures vero, quo magis a se inuicem
discrepantes vnius eiusdemque morbi sunt fornae: eo diffi-
cilius cognoscitur, eo plura circa eius sanationem occurunt
impedimenta. Quis ergo merito negabit, simile de Scorbuto & Lue venerea ferendum esse iudicium? Nonne au-
tem id magis adhuc valebit, quando hi morbi complicati in
vno eodemque corpore existunt? Quodsi porro regulae
therapeuticæ, circa harum aegritudinum medelam obser-
uandæ, eaedem essent; quodsi illarum complicatio sine re-
gularum collisione cogitari posset: magnum omnino mo-
mentum vtilitati argumenti, de quo differam, decederet.
Sed multæ, sed magnæ hic oriuntur collisiones, quas ad-
notare & expendere vtilitate non carebit. Ad ordinem ve-
ritatum transeo. Natura morbi compositi & complicati ini-
tiit naturae omnium illorum morborum, e quibus simul
sumptis compositus aut complicatus exoritur. Dixi itaque
primo de Scorbuto eiusque natura; delineaui postea Luis
venereæ pathologiam; differui deinde de morbo, qui ex com-
plicatione Scorbuti & Luis venereæ exsurgit: adiunxi hisce
denique regulas, curationem morbi, ita complicati, respi-
cientes. Fave itaque B. L. hisce conaminibus!

THE-

THEORIA SCORBVTI.

§. I.

Experientia Medici cogitata dirigat necesse est. Hac itaque praef-
eunte, Scorburi indagabo naturam. Sanguis scorbutorum,
venis eductus, in fibrosa parte ater, grumosus, crassus, & tamen
solutus, in parte serosa falsus, ater, muco flavo-viridi in superfi-
cie scatens adparet. *Vid. BOERHAAVII Aphorism. de cognoscend. &
curand. morb. §. 151.* Obseruavit Perillustr. van SWIETEN, praeter
haec serum scorbutorum quandoque lentescere, ut gelatinæ con-
sistentiam habeat; vidit quandoque, totum serum in talem muco-
sam tenacitatem degenerasse, aliquando tantum partem eius, quæ
superiori insulae satis firmiter adhaerebat. *Confer Comment. in §. cit.
Aphorism. BOERHAAVII, Tom. III. p. 610.* Vedit Illustr. b. m. HOFF-
MANNVS non raro, sanguinem scorbutorum, e pedibus in aquam in-
missum, brevi tempore in fibrosa concrementa compactum, in
aliis in patina collectum, non ita multo post crasso tenacissimoque
glutine fuisse obductum; in quibusdam vero loco sanguinis crassi,
valde tenui coccinei coloris & acris vaporis serum, nulla crassiore
nigra substantia in fundo vasis relicta, effluxisse, non sine admir-
atione conspexit (l. c. Cap. I. pag. 10. §. XIV.). Atque EVGALE-
NVS demum, excellens de Scorbuto scriptor, testatur, se semper,
quantum memoria repetere fecum posset, in omnibus diaetae cras-
fiori indulgentibus, & qui cum Scorbuto diutius essent conflectati,
sanguinem e venis emissum plumbeum ac viridem obseruasse, id-
que adeo certum esse, ut plebs etiam exinde iudicium de morbi fe-
rat praesentia. *Confer EVGALENI Liber de Scorbuto, pag. m. 10. vid.
quoque MEAD Monita & Praecepta medic. pag. 126. Edit. secund.*

§. II.

Manifesto ex dictis §. anteced. adparet, *sanguinem scorbuticorum semper quidem acrem esse, ita tamen, ut haec illius acrimonia modo cum inspissatione, modo cum resolutione massae sanguineae connexa existat.* Perquam facile hoc assertum, sine vltiori demonstracione, ex §. I. deducitur.

§. III.

Inspissatio sanguinis eiusdemque nimia resolutione caussarum instar considerari debent, quorum effectus morbi erunt. Quoniam vero inspissatio humorum nimiae eorum resolutioni et diametro opponitur: effectus, ab inspissatione sanguinis oriundi, diuersi erunt ab aegritudinibus, quas nimia sanguinis producit resolutio. Quum itaque Scorbuto modo cum inspissatione, modo cum resolutione connexus existat (§. II.), erit illius natura non eadem, sed diuersa.

§. IV.

Inspissatio, in sanguine scorbuticorum obseruata, oriri debet modo a defectu aquae principi, modo ab illius deficiente nexu cum ipso sanguine. Fluiditatem sanguinis ab aqua, cum eo commixta, oriri, in Physiologia docetur. Duae itaque generales erunt sanguinis inspissati caussae; defectus nimurum aquae, aut huius deficiens cum vero sanguine intimior commixtio. Vtraque caussa, quod Scorbuto attinet, inspissationem, cum eo connexam, efficit. In Scorbuto enim serum sanguinis modo inspissatum existit (§. I.), quo in casu aqua in massa sanguinea deficiet, modo vero abundat & resolutum adparet, manente nihilominus inspissatione sanguinis veri (Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. m. c.), quo in casu aquae defectus accusari nequit, sed illius potius imminuta cum vero sanguine intimior miscela. Patet ergo, caussam inspissatae massae sanguineae sub

Scor-

Scorbuto, modo a defectu aquae, sanguini, praesente sanitatis statu, inexistentis, modo ab imminuta illius cum sanguine miscela intimiori, repetendum esse.

§. V.

Sub Scorbuto solida corporis humani debilitata esse debent. Scorbuto sibi humorum acrimoniam semper vindicat (§. II.). In sanguine existit succus nutritiens, quo corrupto debilitantur solidia. Quoniam iraque sub Scorbuto sanguis corruptus in vasa intrat: necesse est, ut inde succus nutritius quoque corruptione afficiatur & solidia debilitentur. Praeterea Scorbutus modo inspissationem, modo nimiam massae sanguineac resolutionem connexam haber (§. II.). Verum succus nutritius sanguini inhaeret; qui ergo, corpore a Scorbuto adflicto, modo nimis spissus, modo nimis tenuis erit. Succus autem nutritiens, siue crassus nimis, siue nimium resolutus fuerit, ad producendam solidorum nutritionem ineptus erit. Nullum ergo est dubium, quin Scorbutus solidorum debilitate stipatus incedere debeat. De solidorum debilitate, ut causa Scorbuti, dein differam; iam ut effectum eandem tantum considero.

§. VI.

Sanguificationis negotium, docente id Physiologia, robori solidorum innititur. Sub Scorbuto vero solida debilitantur. Ergo *sanguificatio quoque in scorbutico corpore languescit minusque congrue continget* (§. ant.).

§. VII.

Quando resolutio nimia massae sanguineae in scorbuticis excipit inspissationem illius: necesse est, ut id ab eminenti fluidorum acrimonia enierat. Nimia enim sanguinis resolutio oritur, probante id Pa-

Pathologia, vel a copia aquae, intime cum sanguine remixtae, vel ab eminenti acrimonie. Quum sub Scorbuto vires sanguificationis languescant (§. VI.), resolutio sanguinis, inspissationem excipiens, a priori caufsa explicari nequit. Pathologum ergo oportet eandem repeteret ab eminenti fluidorum acrimonie.

§. VIII.

Docuerunt obseruationes, sanguinis sub Scorbuto resolutionem nimiam subsecutam fuisse illius inspissationem, idque semper (*Perilluſtr. van SWIETEN l.c. pag. 61. 620.*). Qua propter caufa illius, quatenus ad Scorbutum accedit, semper quaerenda erit in nimia humorum acrimonie, sanguinem soluente (§. VII.).

§. IX.

Resolutio sanguinis scorbuticorum erit maximi gradus (§. I.). Habebit itaque proportionatam cauſam. Verum nulla eminentior putredine datur resolutionis cauſa. Quodsi ergo resolutio in sanguine scorbuticorum adpareat: erit tunc vera putredo massae humorum illius caufa (per antec. & §. VIII.).

§. X.

Constitit per obseruationes, falsamenta liberalius ingesta, acida, esculenta acercentia, copiosius in corpus delata, cauſas denique verae putredinis admissas, morbum induxisse scorbuticum. Confer. *Perilluſtr. van SWIETEN l.c. §. 153. pag. 619.* Quare Scorbatus oriens ab acrimonie modo acida, modo muriatica, modo alcalina. Idem confirmat BOERHAAVIUS in *Aphorism. de cognosc. & cur. morb. §. 153.*

§. XI.

Quum acrimonie humorum muriatica ab alcalina, haec ab acida, & acida a muriatica toto coelo differat: opus est,

vt

vt natura Scorbuti, ob acrimoniae etiam diuerſitatem (§. III.), dis-crepet (§. anteced.).

§. XII.

Experientia restatur, Scorbustum cogitari posse, quamuis neque vita aegri valde affligatur, neque morbus ipse corpori cito in-existere desinat. Huius vero indolis morbus nominatur *longus* seu *chronicus*. Erit itaque *Scorbutus* *morbis chronicis* generatim adnumerandus. Qua in re consentiunt Medici.

§. XIII.

Acrimonia cauſa est Scorbuti (§. X.). Scorbutus vero lentius progreditur (§. antec.). Hinc cauſa etiam illius ita comparata esse debet, vt lentius incrementa capiat. Quapropter *acrimonia generans Scorbutum eiusmodi habebit naturam*, vt lentius in massa sanguinis increſcat.

§. XIV.

Scorbutus erit morbus, ortus ex acrimonia modo acida, modo alcalina, modo muriatica, & massam sanguinis adfligente, & lentius increſcente (§§. I. X. XIII.). Ex comparatione morborum, quos Pathologia pertractat, cum data hac Scorbuti definitione, sine difficultate patebit, nullum corporis humani exiſtere morbum, cui praedicata allata competenter. Atque cum praeter haec reliqua mo-menta, quae continent definitio, ſufficienter comprobata ſint: de veritate huius definitionis nullum poterit esse dubium. Magis ad-huc veritas illius elueſcit, ſi eadem ad explicanda ſymptomata Scorbuti utimur. Qua de re in ſubsequentibus nonnulla monenda erunt.

B

§. XV.

§. XV.

Symptomata Scorbuti diuersa esse debent. Symptomata enim morbi cuiusdam ab illius natura pendent. Sed Scorbuti natura valde est diuersa (§§. III. XI.). Hinc Scorbutus quoque diuersa habebit symptomata.

§. XVI.

Quum Scorbatus incipiat cum inspissatione humorum (§. VIII.), sequitur, in Scorbuto incipiente, praeter symptomata acrimoniae humorum (§. II.), symptomata spissitudinis sanguinis adesse debere. Quoniam vero, morbo vterius progrediente, rarefactio sanguinis possibilis est (§. §. II. VIII.) : sequitur, fieri posse, ut Scorbuti in ueterati symptomata composta sint ex symptomatibus acrimoniae humorum & nimiae sanguinis rarefactionis. Hinc symptomata huius morbi explicari possunt.

§. XVII.

Scorbuticus de grauitate corporis conqueri debet. Grauitas enim corporis effectus est fluidorum nimium resistentium, & solidorum nimium debilitatorum (per Patholog.). In Scorbuto autem solidorum debilitas semper obtinet (§. V.). Fluida porro inspissata concipi possunt (§. XVI.). Quare dubium non est, quin Scorbucus de corporis grauitate conqueri debeat. Conf. BOERHAAVE I. c. §. 1151. n. I. Hoc symptomma erit primarius Scorbuti incipientis effectus.

§. XVIII.

In Scorbuticis dolor adesse in musculis debet, similis illi, qui oritur in aliis a nimio muscularum motu, atque hic dolor maximus in erubibus & lumbis locum habebit. Vid. BOERHAAVE I. c. Dolor enim, qui

qui nimium muscularorum motum solemniter excipit, oritur a debilitate muscularis per intensem eorundem motum sensim inducta. Nunc in scorbuticis eminens est omnium solidorum, hinc et muscularum debilitas (§§. V. XVII.). Necesse itaque est, ut in scorbuticis talis circa musculos sentiatur dolor, qualis a nimio muscularum motu in aliis subiectis adparat. Quoniam vero lumbi & crura, ob difficultorem sanguinis refluxum, & ob continuum eorundem sub motu progressiu corporis usum, facilius debilitantur (per Pathol.), dolor etiam, quem solemnem Scorbuticis diximus, in his maxime partibus comparebit.

§. XIX.

Quum sub continuato somno massa sanguinea tardius mouatur (per Physiol.), *Scorbuticus a somno*, ob auclam resistentiam fluidorum, *magis de grauitate corporis conqueratur necesse est* (§. XVII.). Verum grauitas corporis causa est debilitatis & doloris scorbutici (§. §. XVII. XVIII.). Ergo *Scorbuticus ipsum dolorem* (§. anteced.) *in initio a somno praeципie sentiat opus est*. Atque id etiam per experientiam confirmatur. Confer BOERHAAVE l. m. c.

§. XX.

Ex his (§. XVII. XVIII. XIX.) facile explicantur symptomata, quae ab Observatoribus adnotantur. *Corporis nimirum pigritia, sedendi & decumbendi amor, laßitudo spontanea*, aliaque ex recentis symptomatibus sine difficultate explicantur. Vid. etiam de his BOERHAAVE l. c.

§. XXI.

A Scorbuto spasmi oriuntur debent. Fluida enim, siue nimium inspissata, siue nimium acrida, siue nimium resoluta fuerint, causam

sam spasimorum suppeditant. Solida praeterea, quatenus sunt debilitata, ortui spasimorum ansam praebent (per Pathol.). Non poteris ergo dubitare, quod spasmi ad Scorbuto accedere queant (§. §. II. V.).

§. XXII.

A Scorbuto sanguinis congectionis oriri possunt. Inspissatio enim sanguinis, acrimonia fluidorum, horum nimia resolutio, solidorum debilitas, caussae sunt sanguinis congectionum, ad quas caussas iure etiam refertur spasmus, quatenus latius serpit (per Pathol.). Quamobrem cum omnia haec Scorbuto etiam competant (§. §. II. V. XXI.), sanguinis etiam coacervationes in Scorbuto possibles erunt.

§. XXIII.

Arroso solidorum in Scorbuto contingere poterit. Caussae enim arrosionis solidorum sunt particulae salinae, diutius paullo solidis applicatae. Id docet Pathologia. Nunc sanguis scorbuticorum considerandus est tamquam massa aeris, solidis diutius paullo applicata (§. XXII.); adeoque in Scorbuto arroso solidorum non erunt impossiles.

§. XXIV.

Arroso vasorum, congestiones humorum, spissitudo & resolutio sanguinis, spasimi denique, caussae sunt haemorrhagiarum (per Pathol.). Scorbuto ergo haemorrhagias producere poterit (§. §. II. XXI. XXII. XXIII.).

§. XXV.

Quam gingivae ex multis & tenerioribus vasculis constent, sensiles sint, atque aeris accessui patiantur, quo ipso corruptio massae au-

augetur: sequitur, gingivas a Scorbuto male non solum adfici debere, sed easdem etiam a Scorbuto tumentes, dolentes, prurientes, calidas & sanguinolentas reddi debere (§. §. XXII. XXIII. XXIV.). Vid. BOERHAAVE l. c. n. 2. Nonne vero Scorbutici mali materia ita comperata est, ut ob specificam suam indolem gingivas adficiat? Dantur certe multi morbi, ex humorum acrimonia oriundi, nunquam tamen adeo facile, adeo certe, ginguarum vitia determinantes. Confer. *Perilliffr. van SWIETEN Comiuentar. in Aphor. Boerh. Tom. III. §. 1151. pag. 604. seq.*

§. XXVI.

Arroso, dolor & congettiones humorum caussae sunt inflammationis (per Pathol.). Ergo gingivae a Scorbuto inflammari possunt (§. antec.). Quoniam porro gingivae dentes firmant: horum vacillatio Scorbuto sepe adiungere debet (§§. V. XXIII. XXV.). Deinde ab admoto humore corrupto ossa corrumptuntur. Hinc dentium quoque corruptiones Scorbuto accedant necesse est.

§. XXVII.

Spasmi in eo potissimum loco generari debent, cui morbus iam inhaereret (per Pathol.). Nunc Scorbutus a vitiis diaeteticis oritur (§. X.), a quibus adficiuntur primae viae. Hinc scorbuticorum spasmi generatim ventriculum & intestina praecipue adfligere debent. Dolor est spasmorum effectus. Ergo dolor quoque a Scorbuto in ventriculo & intestinis determinabitur. Sed, ut haec producantur symptomata, accedere possunt vitia digestionis, quae debititas solidorum & corrupta ad ventriculum & intestina delata fluida excludunt (§§. II. V.). Nam quod vitia digestionis ad caussas spasmorum, in his partibus prouenientium, pertineant, Pathologia ostendit.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Stases fluidorum in locis corporis humani oriuntur a debili vasorum & solidorum in fluida actione, ab imminuta nimium, aut nimium adauita fluidorum, respectu solidorum, resistentia. Ergo fieri potest, ut fluidorum stases Scorbuti symptomata exsistant (§§. II. V.).

§. XXIX.

Quum stases, congestiones, spasmi, dolores, acres particulae, sanguini inexistentes, vna cum solidorum debilitate, causis motuum febrilium accenseri debeant, Pathologia id praecipiente: ratio intellegitur, cur cum Scorbuto motus febribus connexi inueniantur (§§. II. V. XXI. XXII. XXIII.).

§. XXX.

Ad effectus stagnationum pertinebunt maculae & vleera (per Pathol.). Quid ergo mirandum erit, quod & maculae & vleera sub Scorbuto adpareant? Quoniam vero maculae scorbuticae oriuntur a corrupto sanguine (§§. II. XXVIII.): hinc saepe fuscae, flavae, coeruleae, liuidae, nigrae adparebunt, quamvis & sint, quae rubrum referunt colorem. Confer. BOERHAAVE l. c. Vleera autem, quorum causa est eminens corruptio, dicuntur qualificata. Quare vleera scorbutica erunt vleera qualificata. Vid. BOERHAAVE l. c. §. II. 51. n. 3.

§. XXXI.

Vleera scorbuticorum possibilia sunt (§. anteced.). Hinc scabies quoque ad Scorbntum accedere potest. Quod etiam cum observationibus consentit. Confer BOERHAAVE l. c.

§. XXXII.

§. XXXII.

Scorbutus, qui diu durauit, febres post se trahet. Motus enim febriles in veram febrem degenerare posse, aucta tantum eorum causa, in Pathologia ostenditur. Verum Scorbutus, dum ex corruptione sanguinis subnascitur (§§. II. X.), continuo augetur. Ergo a Scorbuto, qui diu durauit, ab aucta motuum febrilium causa, febris exoritur.

§. XXXIII.

Quum febris, concurrente sanguinis corruptione, vel vere maligna sit, vel facile tamen in eandem degeneret: certum est, febres scorbuticorum vel vere malignas esse, vel ad has maxime fatem proclives.

§. XXXIV.

In Scorbuto viscerum corruptiones, eorum infarctus, hydrops & tabes generari possunt. Acrimonia enim humorum stagnantium causa est corruptionum in visceribus; infarctus viscerum oriuntur ab humoribus, in iisdem stagnantibus. Hydropis effectus sunt labes, visceribus inductae: tabes demum a deficiente nutritione originem suam sumit (per Pathol.). Recensiti itaque morbi Scorbuti erunt symptomata (§§. II. V. XXVIII.).

§. XXXV.

Quum motus sanguinis in scorbuticis langescere debeat (§§. II. V.); quum fluida ipsa valde sint in Scorbuto corrupta (§§. II. X.): ratio exinde patet, cur lipothymiae & anxietates Scorbuto accedere soleant.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Quum motus sanguinis in scorbucitis languescere debeat (§§. II. V); quum fluida ipsa valde sint in Scorbuto corrupta (§§. II. X); ratio exinde patet, cur lipothymiae & anxietates Scorbuto accedere soleant.

§. XXXVL

Oleosae sanguinis particulae ad corruptionem valde sunt proclives. Hinc istae quidem in primis etiam sub Scorbuto inquinari debent. Quoniam nunc in ossibus medulla haeret: necesse est, ut ossa quoque a Scorbuto adficiantur. Quare etiam ossa corporis humani a scorbutica labe corrumpi debent (§. II.). Tunc vero dolores nocturni in scorbucitis acerbiores evadunt (§. XIX.). Vid. *Perilustr. van SWIETEN l. c. pag. 61.*

§. XXXVII.

Quum Scorbutus ab uno subiecto in alterum propagetur, protinus Observationes testantur: sequitur Scorbutum morbum esse contagiosum. Vid. BOERHAAVIS & Perillustr. *van SWIETEN l. c.*

§. XXXVIII.

Haec sunt primaria Scorbuti symptomata, e quibus reliqua deriuari possunt, quorum explicationem breuitatis causa omitto. Plura hac de re differuerunt *Illustr. b. m. HOFFMANNVS & BOERHAAVIVS*, quorum Scripta ideo adeunda erunt. Errit iam breibus de causis Scorbuti dicendum. Quum Scorbutus incipiens oriatur ab inspissatione & lenta sanguinis acrimonia: omne id, quod sanguinem & inspissat, & lentam illi inducit acrimoniam, causa erit Scorbuti nominandum. Huc itaque non solum cibi valde saliti, acestentes, fermentantes & ad putredinem proni, cum aere corrupto, pertinent;

tinent; sed ipsa quoque corporis & speciatim viscerum, sanguificationi inservientium, debilitas eo trahenda venit. Hinc enim massa sanguinea inaequaliter miscetur, inspissatur & corruptitur. Ex generali hocce fundamento speciales Scorbuti caussae, quae ab Aucterioribus confignatur, tam facile explicantur, vt iisdem immorari superuacaneum esse ducam. Ad signa itaque Scorbuti me conferam.

§. XXXIX.

Scorbutus ipse in sensus nostros non incurrit. Hinc etiam signa Scorbuti diagnostica ex Scorbuto, in se spectato, defumi non possunt. Nunc omnia rei cuiusdam signa vel ex ipso re, vel ex caussis, vel ex effectibus illius defumenda erunt. Ergo signa Scorbuti diagnostica ex caussis Scorbuti admissis, & ab illius symptomatibus haurienda erunt. Quodsi itaque noueris, *caussas Scorbuti esse admissas; symptomata Scorbuti adesse; haec non ab alio morbo sufficienter omni ex parte determinari: tunc merito concludere poteris, Scorbutum vel solum adesse, vel cum alio scilicet morbo connexum corpori inexisteret.* Qui autem intelligit, quam varia sit, superius indigita, Scorbuti natura, atque simul perpendit, quam multi sint morbi, similibus, ac Scorbutus, stipati symptomatibus: is facile comprehendet, quanta sit circa diagnosin Scorbuti difficultas. Sanguis, & vena emissus, attenta, & hic potissimum necessaria, ginguarum consideratio, multum hoc negotium iuuabunt.

§. XL.

Quum Scorbutus continuo augmenta capiat, atque hinc morbus etiam sensim in peius ruat: quum ex copia & grauitate caussarum ad grauitatem effectus valeat consequentia; quum denique ex copia & grauitate symptomatum ad grauitatem caussae seu morbi rite concludere possimus: sequitur, *Scorbutum eo esse peiores, quo-*

C

diu-

diutius durauerit; quo plures & grauiores caussae eundem determinant; quo plura demum, quo grauiora sunt, quibus stipatus incedit, symptoma. Quo minus vero haec omnia in corpore scorbutico obtinent; eo minus morbus erit periculosus. Hoc est generale illud, quo ad formandam in Scorbuto prognosin vti debemus, principium. Breuitas huius scripti vltiorem illius expositionem non concedit. Multa hac de re differuit Illustr. b. m. HOEFFMANNVS. Neque minus BOERHAAVIVS & Perilustr. van SWIETEN multum in eo sunt, vt prognosin huius morbi stabiliant. Atque BOERHAAVIVS potissimum gradas Scorbuti constituit, qui principiorum instar, in detegendis eiusdem signis prognosticis, adhiberi possunt.

THEORIA LVIS VENEREAE.

§. XLI.

Frequentissima est obseruatio, qua constat, Luem venereum morbum esse contagiosum. Nullus vero, nisi ex acrimonia humorum oriundus, morbus poterit esse contagiosus (per Pathol.). Quare constat, Luem venereum requirere, vt acrimonia humorum inexistat. Quoniam porro nonnisi tunc a praegressa gonorrhœa maligna oritur Lues venerea, quando humoris gonorrhœae malignæ contigit absorptio: necesse est, vt sub Lue venerea massa sanguinis sit inquinata. Quum denique obseruatio docuerit, serum & lympham sub Lue venerea esse inspissata: necesse est, vt caufa Lues venereæ potissimum quaerenda sit in seri & lymphæ, massæ sanguinis inhaerentium, inspissatione & acrimonia. Vnde etiam, mediante Pathologia, ratio perspicitur, cur Lues venerea morborum chronicorum numero accenseri debeat.

§. XLII.

§. XLII.

Quum lymphā, praesente Lue venerea, inquinata sit (§. XLI.), necesse est, ut *cellulosa* abinde potissimum adisciatur. Verum in adiposa sebum residet, quocum commixta est lymphā (per Physiol.). Ergo adeps etiam *sub Lue venerea* valde adsci debet. Quod *BOERHAAVIVS* etiam & Illustr. b. m. *HOFFMANNVS* vrgent.

§. XLIII.

Quum massae sanguineae eiusque sero potissimum & lymphae inhaereat labes venerea (§. XLI.), sequitur, a Lue venerea omnes partes adisci debere, ad quas serum, lymphā & oleum pertingit (§. antec.). *Hinc & solida, inquinatis prius fluidis, corrumpantur necesse est.* Quum vero solida laxiora prius & facilius in corruptionem abeant: inde concludimus, *iure tres Luis venereae gradus statui posse.* Primus pertinet ad massam sanguineam; secundus ad solida laxiora; tertius ad solida duriora, cartilagines nempe & ossa. Haec est sollemnis illa Pathologorum, quod Luem venereum spectat, diuisio.

§. XLIV.

Quum a quolibet morbo oriantur symptomata: haec etiam debent a Lue venerea effici. Quum vero haec differre debent respectu subiectorum, gradus, durationis, & partium, quas adscit: colligimus inde, *symptomata Luis venereae non eadem, sed longe a se invicem diuersa esse debere.*

§. XLV.

Quando haec (§. anteced.) cum causa Luis venereae comparaueris (§. XLI.), symptomata Luis venereae varia & horrenda sine difficultate explicabis. Hinc enim dolores, tumores, spasini,

spasmi, arrosores, ulcera, scabies, maculae, ardores, inflammations, effluxus humorum efficiuntur. Hinc porro lassitudo, debilitas, cruciatus arthritici, tempore nocturno increcentes, caries ossium, glandularum tumores, viscerum corruptiones, tabes, febris ad malignam prona, & alia plura excitantur symptomata. Confer. *Illiustr. b. m. HOFFMANNVS l. c. Cap. IV. §§. II. III. IV.* BOER-HAAVIUS *l. c. §. 1410. sequent.*

§. XLVI.

Quodsi recensita Luis venereae symptomata (§. XLV.) conferas cum symptomatibus Scorbuti superius recensis: compieres, quanta sit similitudo, utrumque morbum, quod symptomata attiner, intercedens. Atque de eo etiam non incelebres Medici magnopere iam sunt & frequenter conquesti.

§. XLVII.

Quid vero de caussa huius morbi dicendum erit? Plurimi Medici in eo conueniunt, caussam huius morbi semper quaerendam esse in praegresso contagio. Neque negandum erit, plurimi saltim in casibus solam hanc caussam Luis venereae in se continere rationem. Alii vero sola, an unica semper? Crederem non impossibilem esse labem huic morbo similem, non admissum etiam contagio venereo. An vero eiusmodi morbus Luis venereae ex ase respondeat, aut tantum communia quaedam cum eadem habeat? in medio relinquam.

§. XLVIII.

Quodsi haec, quae de caussa Luis venereae, licet minus determinate, dicta sunt, referas ad ea quae de Scorbuti caussa superius a nobis sunt prolata; quodsi naturam sanguinis, in Scorbuti-

cis

cis solida permeantia, conferas cum sanguine venereorum (§§. I. XLI.) : non leuem horum morborum perspicies differentiam.

§. XLIX.

Quae de signis Scorbuti diagnosticis allata sunt (§. XXXIX.), aequae etiam generatim ad Luis venereae diagnosis spectabunt & referri poterunt. Ex praegressa nempe frequentissima Luis venereae caussa, gonorrhœa nempe maligna, aut contagio aliunde suscepito; ex complexu symptomatum, ad Luem venereum necessarium; ex abstractione demum, qua similes remouentur morbi, ad presentiam Luis venereae eiusdemque diuersorum graduum, concludere poteris. Distinctionem Luis venereae a Scorbuto fusiis & ele- ganter exposuit *Illusfr. b. m. HOFFMANNVS* l. c. §. VI.

§. L.

Lues venerea pertinet ad morbos contagiosos (§. XLI.). Quo diutius ergo perdurat, eo maiora capiet augmenta. Peior itaque erit Lues venerea, quae per longius iam temporis interuallum corpori inhaeret, melior quae vix incepit. Quoniam etiam Lues venerea ad morbos referri debet, quorum scaturigo erit acrimonia & impuritas humorum (§. XLI.), opus est, vt Lues venerea, nata in corpore impuro, peior sit ea, quae in corpore puro & a fluidorum virio libero subnascitur. Quo plures demum in corpore humano functiones a morbo quodam laeduntur, quo grauius eadem ab aegritudine mutantur & virtiosae redduntur, eo grauior est ipse morbus. Quod ergo de Lue etiam venerea praedicandum erit. Hinc Lues venerea primi gradus mihius erit Lue venerea secundi gradus, haec vero periculo & grauitate a Lue venerea tertii gradus multum superabitur. Neque hic breuitas huius scripti permittrit, ut generaliora haec momenta ad specialiora exactius adplicantur. Hinc B. L. ad scripta Pathologorum, fusiis hac de re differentium, remittere debeo. Ad complicationem transeo.

THEORIA MORBI COMPLICATI

EX

SCORBUTO ET LVE VENEREA.

§. LI.

Qui morbus ex vnica & minima corporis humani functione laesa constat: is quidem morbus vocatur *simplex*; qui vero simplex non est, *compositus* salutatur, cuius ergo multi possibles sunt gradus. Quando compositio morborum occurrit, haec vel ita est comparata, ut unus ab alio pendeat, vel non. Si hoc, morbus compositus nominatur *complicatus*. Quamobrem patet, naturam morbi complicati cognosci non posse, nisi natura morborum, e quibus compitus oboritur, innotuerit. Nos itaque, praemissa natura Scorbuti & Luis venerae, eo facilius nunc naturam morbi, ex his complicati, cognoscemus.

§. LII.

Diximus (§. XLVIII.) caussas Scorbuti & Luis venerae insigne intercedere discriben. Hinc ergo sequitur, *utrumque morbum, si corpori humano inhaerent, ita ei inexsistere posse, ut unus horum morborum ab alio non sufficienter proueniat.*

§. LIII.

Si Scorbutus & Lues venerea vni eidemque corpori inhaerere non possent: sequeretur, naturam Scorbuti naturae Luis venerae et diametro esse oppositam. Verum Scorbutus cum inspissatione fluidorum nexus existit (§. II.), qua in re conuenit cum Lue venerea (§. XLI.). Scorbutus acrimoniam supponit, latius sese extendentem, atque fluida pariter ac solida corporis humani destruentem, quod ex ampla Scorbuti symptomatum recensione, superius indigitata, perspiciuntur; conueniunt dein cumque his connectuntur fere omnium, quas edit corpus humanum, functionum laesiones. Lues venerea simili modo acrimoniam supponit (§. XLI.), quae contagio propagatur (§§. XLIII. XLV.). Haec flui-

fluida & solida inquinat & corruptit (§. XXXV.), vnde dein functiones fere omnes sensim laeduntur (§§. XXXXIII. XXXXV.). Cognoscitur ergo ex his, Scorbuto naturam naturae luis venereae non esse e diametro oppositam. Quare fieri etiam poterit, ut *Scorbutus cum Lue venerea* vni eidemque corpori inexsillat; quod obseruationes confirmarunt. *Vid. Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. c. Cap. IV. §. II. p. 164.*

§. LIV.

Morbus complicatus supponit moribum compositum, sed eum, cuius praecipuae quasi partes a se inuicem non pendent (§. LI.). Arqui possibilis est morbus, ex Scorbuto & Lue venerea compositus (§. antec.), atque id ita, vt neque Scorbutus a Lue venerea, neque Lues venerea a Scorbuto pendeat (§. LII.). Ergo dubium non est ullum, quin *morbus possibilis sit in corpore humano, complicatus ex Scorbuto & Lue venerea.* Confirmare id videtur *HOFFMANNVS l. m. cit.*

§. LV.

Cauſſae itaque huius morbi (§. anteced.), compositae erunt ex cauſſis Scorbuti (§. X.) atque cauſſis Luis venereae (§. XLVII.); symptomata conflata erunt ex symptomatibus Scorbuti (§§. XV. XXXVI.), & symptomatibus Luis venereae (§. XLV.), quatenus cum his priora confistere possunt (§§. XLI. II. XLVI.); diagnosis demum & prognosis eiusmodi morbi formanda venit ex coniunctione signorum diagnostico-rum & prognosticorum vtriusque morbi (§. §. XXXIX. XL. XLIX. L.).

§. LVI.

Symptomata Scorbuti a praesentia Luis venereae in crescere debent. Vterque enim morbus supponit humorum acrimoniam, vnde omnia ferme symptomata explicari debent. Nunc autem, accedente ad Scorbutum Lue venerea, noua generatur acrimonia, quae antea aut corpori, aut massae saltim humorum non inhaerebat. Augetur inde copia fluidorum acriorum. Aut̄a autem cauſſa, augetur inde pendens effectus. Necesse idcirco erit, vt symptomata praesentis iam

Scor-

Scorbuti, ab accessu advenientis Lue venereae maiora capiant augmenta.
Atque id etiam quoad symptomata Lue venereae valebit, si concipiatis, Scorbutum ei adhuc, iam productae, accedere.

§. LVII.

Quum incipiens Scorbutus cum inspissatione humorum connexus existat (§. §. II. VII. VIII.) ; Lues etiam venerea fluida itidem inspissa-
ta sibi vindicet (§. XLI.), hinc vero noua symptomata horum morbo-
rum in corpore humano efficiantur, quod in superioribus fusius ostendimus, sequitur exinde, ex hac etiam ratione symptomata praesentis
iam Scorbuti ab accidente Lue venerea adaugeri debere. Atque id vi-
cissim de Lue venerea dicendum erit.

§. LVIII.

Scorbutus connexus esse potest cum resolutione humorum (§. II.).
Quod vero, quando contingit, indigitat, veram adesse putrefactio-
nem (§. §. VII. VIII.). Concipte, ad hunc Scorbuti statum accedere Luem
venereum. Quum putrefactio cum resolutione coniuncta, indicit
summum putrefactionis gradum, qui facilissime fese extendit (per Pa-
thol.): inspissatio illa, alias cum Lue venerea coniuncta (§. XLI.),
ylterius perdurare non potest. Fiet itaque hinc, ut manente, immo
aucta acrimonia, tota massa humorum in massam maxime puritudinē re-
soluatur. Quare tunc etiam symptomata, ab imminentे fluidorum
putrefactione & insigni illorum resolutione pendentia, breui tempo-
ris interuallo determinabuntur.

§. LIX.

Quum causa, quae magnitudine præ alia eminet, citius suum
effectum determinet : necesse est, ut symptomata, quæ a Scorbuto
& Lue venerea oriuntur in corpore, sub horum morborum complicatio-
ne longe citius producantur (§§. LVI.).

§. LX.

Habes hic B. L. generalia illa fundamenta, e quibus symptomata
morbi, ex Scorbuto & Lue venerea complicati, diuidicari debent.

At-

Attenta symptomatum horum morbo rum consideratio, cum his, quae stabiliuimus, principiis apte coniuncta, naturam symptomatum, complicato isti morbo competentium, facile declarabit. Nonnulla tantum hisce adiiciam, quae docebunt, quam facilis sit iste labor. Omnia Scorbuti symptomata oriuntur partim ab acrimonia massae sanguinis, partim ab eius aut inspissatione, aut excedente resolutione. Idem obtinet in Scorbuto cum inspissatione connexo. Accedat Lues venerea. Tunc ob spissitudinem humorum & acrimoniam illorum, cum Lue venerea coniunctam, symptomata Scorburi, iridem ab inspissatione & acrimonia pendentia, aderunt, sed grauiora erunt, atque celeriora capient augmenta. Concipe, adeffe Scorbutum, cum resolutione nimia in massa humorum combinatum. Accedat labes venerea. Orientur tunc quidem symptomata, a resolutione scorbutica pendentia, sed ea, quae ab acrimonia producuntur, & citiora & maiora nanciscuntur incrementa. Quodsi nunc haec conferas cum symptomatibus Scorburi, superius indigitatis, facile sine dubio haec symptomata exinde derivare poteris.

§. LXI.

Scorbutus cognoscitur ex causis eiusdemque symptomatibus (§. XXXIX.); Lues venerea ex causa & symptomatibus (§. XLIX.). Quare etiam Scorbutus, complicatus cum Lue venerea, cognoscetur ex admissione causarum vtriusque morbi, atque ex natura symptomatum, vtrique morbo competentium (§. LX.). Status praegressus, incrementum morbi celerius sine alia manifesta causa, Scorbutus aut Lues venerea iam antea detecta, aut cognita, maxime hac in re attendi debent. Nam qui hic admittitur error, magnus & nocivus erit, cum practicus euadere debet.

§. LXII.

Eadem facilitate prognosis huius morbi detegitur. Consideres ea, quae de natura symptomatum morbi, ex Scorbuto & Lue venerea

D

com-

complicati, diximus (§§. LVI. LX.): comprehendes exinde, eiusmodi morbum grauiorem esse & periculosiorem solo Scorbuto, aut sola Lue venerea. Quo grauior demum fuerit aut vnuus aut yterque morborum complicatorum; quo diutius iam durauerit; quo plures & maiores illius cauſae ſunt admissae; quo cirius demum increſcit: eo grauior erit morbus complicatus, eoque citius aut lethalem, aut minus lethalem nancifetur euentum.

PRACTICA HVIVS ARGUMENTI CONSIDERATIO.

§. LXIII.

Non id quidem nunc fuscipio B. L. vt integrum huius delineati morbi Therapiam exponam, arque vt omnes regulas, quae circa illius curationem a Medico praetico attendi debent, stabiliam. Sufficiet, hic exceptiones, circa regulas therapeuticas necessario obſervandas, adferre, arque eas adducere collisiones, quae ſub eiusmodi complicatione nimis frequentes erunt. Reliqua ipfa Therapia exponit fulius, quam hic fieri poſſet.

§. LXIV.

In morbo, ex Scorbuto & Lue venerea complicato, nulla acida adhiberi debent. Acida in ſolo Scorbuto insignis eſt vitilitatis, frequentissime conſtaſe Obſeruatoribus docuit experientia. Atque quomodo id mirari poterit is, qui perpendit, Scorbutum adeo frequenter a purredine mafiae humorum ſubnafci (§. X.). Verum obſeruatio, quae docuit acidorum in Scorbuto vitilitatem, demonſtrauit etiam fere pefiferum eorum in labe venerea effectum. Auēta vero Lue venerea, augetur Scorbutus (§. LX.). Ne ergo loco ſalutis maius sanitatis decrementum inducatur: neceſſe erit, vt in iſto, ex Scorbuto & Lue venerea complicato morbo, fugiantur acida.

§. LXV.

Datur Scorbutus ex acrimonia acida oriundus (§. X.): Huius cauſa ab yſu acidorum augeatur neceſſe eſt. Quoniam nunc, aucto Scorbuto,

buto, augetur etiam Lues venerea (§. LX.), tunc in primis acida fugienda erunt (§. anteced.).

§. LXVI.

In morbo, ex Scorbuto & Lue venerea complicato, fugienda erunt mercurialia. Quae adeo excellentem in Lue venerea exserunt virilitatem: ea in Scorbuto tantae sunt noxae, nisi maioris, quantae sunt acida, in Lue venerea adhibita, probe monente *Illustr. b. m. HOFFMANNO.* Quum itaque mercurialibus Scorbutus augeatur; quum ab aucto Scorbuto augeatur etiam Lues venerea (§. LX.), vnde complicatus exinde morbus grauior & periculosior redditur (§. LXII.); quum Medici sit sanare, non augere morbum: inde patet, mercurialia in aegritudine, ex Scorbuto & Lue venerea complicata, cane & angue peius a Medico fugienda esse.

§. LXVII.

Quando cum Scorbuto, cui Lues venerea accessit, resolutio iam humorum coniuncta erit: opus tunc est, ut resoluentia validiora omittantur. Resoluentia enim praesertim resolutionem magis adhuc augebunt. Nunc resolutio ista pendet a putrefactione; quae itaque ab vsu resoluentium augebitur. Hinc vero increscit morbus (§. LVIII.). In isto itaque casu, quem hic proposui, resoluentia validiora omitti a Medico debent.

§. LXVIII.

Quum spirituosa, & remedia-humorum massam valde exagitantia, in Lue venerea nocios habent effectus: erunt in morbo, ex Scorbuto & Lue venerea complicato, omnia antiscorbutica, spirituosa atque valde exigitantia vitanda.

§. LXIX.

Curatio Luis venereae requirit præparationem & euacuationem humoris corrupti; requirit, vt morbi, exinde iam producti, tollantur; denique roborantia sibi vindicat. Similia requirit Scorbutus. In Lue venerea humores obtinent lenti, hinc resolundi sunt; in Scorbuto non minus spissitudine laborat massa sanguinea; hinc in Scorbuto quoque locum habebunt resoluentia. Ut in Lue venerea euacuatio humoris corrupti

corrupti fiat, opus est, ut excretio quaedam naturalis intendatur; quod etiam cadit in Scorbutum. In Lue venerea determinantur ulcera, caries, scabies, &c. qui morbi sui extirpationem postulant. In Scorbuto non minus vleera, &c. praesentia sunt, atque hos etiam morbos tollere Medicum oportet, qui Scorbuti suscipit curationem. Ab omni denique morbo debilitas oritur, quae itaque, ut morbus, tam in Lue venerea, quam in Scorbuto extirpanda erit. Vides hinc, quantum curatio Luis venereae cum curatione Scorbuti incipientis, atque cum inspissatione humorum adhuc coniuncti, conueniat. Ex alia vero parte magnopere horum morborum curationes a se inuicem recessunt. Resolutio in scorbuticis per mercurialia fieri non debet; saliuatio, adeo salutaris in Lue venerea, in scorbuticis admittenda non est; fortiora demum anti-scorbutica nocent in Lue venerea. Quando itaque Lues venerea complicata est cum Scorbuto, in quo massa humorum adhuc inspissata existit: blandiora tunc resoluenteria, non mercurialia, additis blandioribus & senioribus antiscorbuticis, adhibenda sunt. Laxitas alui & excretionis cutanea per laxantia, quibus mercurialia non inhaerent, & diaphoretica remedia promouenda erit. In regimine vitae demum omnia vitanda sunt, quae ytrique morbo nocent. Quando tandem Scorbutus per congruum remediorum usum remotus aut valdopere imminentus est: tunc eo tutius ad Luis venereae extirpationem accedere possumus. Confer. hic *Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. c.*

§. LXX.

Quid vero tunc agendum erit, quando massa humorum insigniter resoluta est? Vix ac ne vix quidem in hoc casu ab artis auxilio quidquam erit expectandum: porerit tamen methodus medendi, febris putridis, ex corruptione viscerum ortis, destinata, adhiberi, cum remedii, quae methodus ista requirit, nisi & hic collisiones regularum therapeuticarum exceptionem requirant,

T A N T V M .



00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS
PAJ
VOL



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SCORBVTI
CVM
LVE VENEREA COMPLICATIONE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTSSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORVM
EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVR^ISORVM PRAESIDE, ET REGIAR.
SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS. ET
MONSPLEIENS. SODALI,

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

AD D. XIII. APRIL. A. S. R. c^{lo} I^o CC LXIV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBICE DEFENDET

AVCTOR
ERICVS LUDOVICVS SIEFART,
BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.